D. IO. LAVR. FLEISCHERI,

DISPVTATIO IVRIS GENTIVM PVBLICI

DE QVAESTIONE

AN PRINCEPS EX FACTIS SVI TVTORIS POSSIT OBLIGARI?

MENS. MART. M DCC XVI.

HABITA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

M DCC XLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

An Princeps ex factis ſui tutoris poſſit obligari?

§. I.

ANimus erat materiam hanc non tantum ex principiis juris naturalis, ſed etiam ex variis gentium moribus ac conſtitutionibus deducere, eaque qua par eſt cura illam ordinare, & paulo fuſius juſta aliqua diſputatione proponere. Verum cum aliæ cauſæ ab hoc propoſito nos diſtraxerint, atque citius rem expedire juſſerint, breves ſaltem proponemus theſes atque ampliorem accuratioremque elaborationem in aliud tempus reſervabimus.

§. II.

Vocabula materiæ ipſius ut explicemus neceſſe non erit, cum ab aliis auctoribus, Inſtitutionum Pandectarumque commentatoribus ſatis abunde ſint explicata. Id ſaltem notandum, quod ſub pupillis & minoribus etiam alia impedimenta ſubintelligamus, propter quæ princeps etiam majorennis imperio præeſſe nequit, & hinc tutor ſeu curator, qui & protector & regens alicubi appellatur interim debet conſtitui, qui vices regis gerat, ejusque nomine adminiſtret.

§. III.

Dividunt enim ICti noſtri tutelam in regularem & irregularem; illam vocant, quæ adoleſcentibus; hanc,

 quæ

Digitized by Google

quæ furioſis, mente captis, prodigis, aut alio ſimili vitio laborantibus conſtituitur. Qua occaſione ſimul ventilatur quæſtio; an regnum tutelæ inſtar rege capto atque in cuſtodia habito, adminiſtrari poſſit? Quam vero quæſtionem jam noſtram non facimus tanquam a ſcopo noſtro alienam. Forſan vero ex ejus deciſione ulterius inveſtigari poſſet quæſtio: an regnum ex pactis a rege captivo cum victore initis eſſet obligatum? quod alias communiter a Iuris Gentium Dd. affirmatur.

§. IV.

Non etiam propoſitum noſtrum patitur, de tutela in genere hic ex profeſſo agere; ſed ea ſaltem delineabimus, quæ ad noſtrum ſcopum ſpectant.

§. V.

Cum vero loquamur de factis tutoris, ſub his comprehendimus omnia illa negotia, quæ a tutore vel cum exteris, vel etiam cum ſubditis ipſis fuerunt geſta v. gr. Si fœdera iniit, ſi aliorum exercitui ſecuritatem in regno dedit eosque aſſumſit & ſimilia.

§. VI.

Sub principibus non intelligimus principes noſtri imperii. Nam quamvis & eorum controverſiæ ex jure naturæ capiant deciſionem. Sunt tamen per LL. Imperii in multis reſtrictæ, ita ut aliter in iis, quam in aliorum principum controverſiis debeat procedi, uti oſtendit Illuſt. Coccejus *de tutelis illuſtrium ſect. 3.*

§. VII.

Eſt vero tutela poteſtas ad tuendum eum ejusque res adminiſtrandas, qui propter ætatem ſuam vel alia impedimenta ſe ipſum defendere nequit, data atque conceſſa. Hinc alii illam patriæ poteſtatis vicariam definierunt. Sicut enim officium parentis in eo conſiſtit, ut filium ſuum educet, tueatur atque ad reipublicæ ſalutem excreſcere ſinat;

nat; ita & tutori maxime de eo opera danda, cum eundem in finem datus ſit, ut ſalutem minorennium quocunque modo promoveat. Cum vero nobis jam ſermo ſit de principum tutoribus non privatorum, hinc non erimus ſolliciti an definitio Servii in *§. 1. I. de tutelis* ſit adæquata vel non, cujus in explicatione maximi noſtri ICti Vinnius & Bachovius ſe exercuerunt.

§. IIX.

Haud dubie apud omnes quas cognoſcimus gentes, ſemper tutela obtinuit, maxime enim intereſt reipubl. ut iis hominibus omni modo proſpiciatur, qui rebus ſuis præeſſe nequeunt. Quid enim magis Reipubl. conducit, quam ut cives ſui bene educentur eorumque bona eo modo adminiſtrentur, ne inutilia terræ evadant pondera atque reipubl. eveniant moleſta? Hunc enim in finem adeſt princeps atque magiſtratus, ut felicitatem quocunque modo promoveat externam. Et quamvis non ejus ſit officii, ut cives reddat vir· ·oſos, maxime tamen eo proſpiciendum, ut occaſio committendi mala prævertatur. Quod etiam in omnibus bene conſtitutis civitatibus maxima cura obſervatum fuit & adhuc obſervatur. Quomodo vero hic finis poſſet obtineri, ſi impuberes atque minorennes ſibi relinquerentur, ac quaſi omni auxilio atque directione eſſent deſtituti, ita ut pro lubitu vitam agere atque de ſuis poſſent diſponere. Quod majus malum contingere poſſet reipublicæ? Nam a natura non ferimur ad virtutes, ſed in vetitum nitimur, ita ut a beſtiis ac furioſis parum ſimus remoti. Maxima enim inter homines damna eſſent oritura, ſi quilibet ſec. proprium ageret inſtinctum, & facile credendum eſſet, parvo tempore bellum omnium exoriturum eſſe, ſi ſine inſpectione atque tutela juvenes in virilem excreſcerent ætatem.

§. IX.

Quia vero homines non eum in finem procreati, ut infelicem, ſed ut felicem & quietam gerere debeant vitam, hinc natura inſtituit tutelam eamque prima vice ad prolem ſuam tuendam parentibus injunxit. Quod parentibus tanquam officium incumbit cui ſalvis regulis honeſti atque decori nullo modo poſſunt renunciare. Quæ enim ignavia gravior & quid inhumanius, quod & beſtiæ ipſæ ignorant, quam ſi parentes ab hoc vellent abſtinere?

§. X.

Si igitur hi ante liberorum pubertatem præmoriantur, natura impediti, quominus huic officio ſatisfacere poſſint, ſuccedit officium magiſtratus quo ille defectus ſuppleatur & alia tutela ſubſtituatur. Quod ſi negligat, haud rite officio ſuo fungitur, nec recte adminiſtrat rempubl. Eſt itaque hæc conſtitutio tutorum meri juris civ. Nam quamvis quoad quæſtionem: an debeant conſtitui, omnino ea ex jure naturæ fluat, tanquam felicitati & bene eſſe reipubl. neceſſaria, uti jam diximus; Nullus tamen modus magiſtratui præſcribitur, ſed ejus ſaltem relinquitur arbitrio, in quantum tuitioni ſibi ſubjectorum proſpici poſſe, arbitretur. Ita ut jus naturæ nihil amplius determinet, quam ne aliquid omittatur, quo & hoc intuitu felix reddi poſſit reſpublica.

§. XI.

Quod ſatis ſuperque patet ex varia LL. civilium de tutela diſpoſitione. Aliis enim limitibus ap. Rom. circumſcripta erat tutela, aliter apud Græcos, atque alios apud noſtros Germ. reperimus mores. Ita apud Romanos proxime ſuccedebant agnati, qui proxima ſpe ſuccedendi gaudebant; apud Græcos hi erant excluſi, aliisque hæc cura concredebatur. Iure Rom. mater tutelæ

offici-

officium ſubire non poterat, quod apud noſtros ei erat conceſſum, aliaque plura.

§. XII.

Si jam ad ſummarum poteſtatum tutelam progrediamur, patet, principes eadem, qua privati, gaudere natura, iisdem imbecillitatibus tam corporis quam animi ſubjectos eſſe, ita ut natura in eorum procreatione eo modo, quo apud omnes alios, laboraverit. Quid igitur mirandum ſi & hos propter quamcunque cauſam legitimæ tutelæ ſubjiciamus? Etſi enim ſtatim per nativitatem regnum adipiſcantur, non minus tamen huic ipſi præeſſe, ſummæque poteſtatis nequeunt eſſe participes, quam eorum ſubditi. Immo multo majores & ſpecialiores hic adſunt rationes. Principis enim officium in tuendis ſuis conſiſtit ſubditis; cum vero jus naturæ ne quidem in propriis bonis concedere pupillis velit adminiſtrationem, multo minus idoneos eos declarat ad gerenda reipubl. gubernacula. Hic enim non agitur de unius, ſed multorum felicitate, qua ſi gaudere debeant ſubditi, exactiorem quandam exigit adminiſtrationem. Hic cedere debet mollities animi, inconſtantia reliquique juventuti innati atque affixi defectus; ſed fortitudo, circumſpectio atque conſtantia principem debent habere locum.

§. XIII.

Non quidem adeſt magiſtratus, non adſunt LL. Civ. imbecillitatibus principum proſpicientes; nullum tamen adeſt dubium, quin jus naturæ hanc populo concedat facultatem, ut tam ſibi, quam principi impuberi proſpiciat, a cujus educatione omnis eorum dependet felicitas & in cujus educatione exactior quædam cura deſideratur. Competit itaque pupillis omnimodo jus ſuccedendi, adminiſtratio tamen reipublicæ ejusque educatio aliis eſt committenda.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

Principes autem in aliorum tutela eſſe, quotidiana docet experientia. Diſtinguit quidem jus Rom. inter tutelam & curam, ſed cum jus naturæ hoc diſcrimen ignoret, non eſt, cur de eo ſimus ſolliciti.

§. XV.

Sicut autem non ſufficit, ut magiſtratus proſpiciat impuberibus, ſed etiam, quis tutelam hanc debeat ſuſcipere, diſponat; ita Ius Rom. triplicem agnoſcit tutelam, legitimam, teſtamentariam & dativam; haud itaque abs re erit & de hoc nonnulla proferre. Certiſſimum eſt, jus naturæ nihil plane diſpoſuiſſe; ſed ut ſaltem iis deferatur, quibus pupillo atque reipubl. quam optime ſit conſultum. Quare maximæ inter juris Gentium doctores agitantur controverſiæ, eo difficiliores, quo facilius in utramque partem in tutelarum materia poteſt diſputari. Neque id mirum eſſe poteſt, cum tutela, quanta quanta eſt, ſit juris civilis, & dependeat a voluntate populi. Igitur ſi populus de tutela regni per LL. fundamentales quid definiverit, iis omnino ſtandum; Si vero id neglexerit propter dubias de populi voluntate præſumtiones & varias Doctorum juris naturæ hypotheſes, controverſiæ hæ non alio modo, in maximum reipubl. damnum, quam armis poſſunt determinari.

§. XVI.

Sunt, qui teſtamentariam tutelam in regnis defendunt, ſunt qui eam plane rejiciunt. Ubique ſunt dubia, videamus itaque quid ſentiendum.

§. XVII.

Teſtamentariam quod concernit, eam inter principes locum habere poſſe haud mihi videtur; regi enim nullo modo de regno teſtamenti factio competit, ſtatim enim pupillus poſt mortem patris ſumma gaudet poteſtate,

ſtate, quam nullo modo haberet, ſi mortuus pater illi legem poſſet præſcribere. Nemini enim judicium in cauſa competit, quam illi, qui tunc eſt judex legitimus, cum cauſa agitatur; minime vero illi, qui eo tempore iam eſt defunctus. Et certum eſt, quod omnes illi, qui de regno contendunt, nullum alium ea in cauſa agnoſcant ſuperiorem, cum omnes reges ſe eſſe contendant; regem vero eſſe & ſuperiorem agnoſcere, involvit contradictionem. In quo ratione ſucceſſionis nobiſcum conſentit Grotius; & quia eadem ratio in tutelis adeſt, locum Grotii ex *L. 2. c. 7. §. 27. de J. B. & P.* allegare non erit inconcinnum: *Principem*, inquit, *nunc imperantem non poſſe judicare de ſucceſſione, quoad judicium jurisdictionis, cum jurisdictio non ſit niſi ſuperioris, qui non modo quoad perſonam, ſed & quoad cauſam ſuperior eſt, cauſam imperii vero non eſſe ſubjectam regi nunc regnanti, quia princeps nunc regnans nullo modo poteſt obligare ſuum ſucceſſorem.* confer. ill. Cocceius *in diſp. de Teſtam. Princ. §. 18. p. 39.* Negotia principum præterea ex ſola æquitate naturali æſtimantur, cum nullas alias agnoſcant LL. civ. neque ullo modo LL. ſubditis datæ ad illos poſſint extendi.

§. XIIX.

Hugo Grotius *L. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 15.* diſtinctione rem expedire videtur. *Nam in regnis*, inquit, *quæ non ſunt patrimonialia, tutela eorum eſt, quibus lex publica, aut ea deficiente, conſenſus populi eam mandat. In regnis patrimonialibus eorum, quos pater aut propinqui elegerint. Sic videmus in Epirotarum regno, quod conſenſu populi ortum fuerat, Aribæ regni pupillo tutores conſtitutos: & a proceribus Macedonum Alexandri M. poſthumo. At in Aſia minore bello parta rex Eumenes Attalo filio fratrem ſuum tutorem dedit. Sic filio Hieronymo pater Hiero in Si-*

cilia regnans, quos voluit, tutores aſſignavit. Et in notis ex Mariana adduxit exemplum Alfonſi regis Legionis, cui tutores a proceribus dati; & regis Iohannis, cujus teſtamentum de tutela & adminiſtratione regni, a proceribus improbatum.

§. XIX.

Verum nititur hæc diſtinctio Grotii falſa hypotheſi, quod dentur regna patrimonialia & uſufructuaria; quam ſatis deſtruxit Excell. Thomaſ. *in notis ad Huber. de Jure civit. p. 69. lit. k.* & ill. Cocceius *in diſp. de Teſtam. Principum c. 2. §. 16.* Nam diſtinctionem hanc in nullum alium uſum inventam eſſe ex Grotio *L. 2. c. 6. §. 3.* L. *1. c. 3. §. 12.* patet, quam ad quæſtionem decidendam, quæ regna ſint alienabilia, & quæ non ſint. Quamvis enim facile poſſit concedi, imperii naturam non repugnare commercio, ita ut, ſi inter principem & populum conventio de regni alienabilitate ſit inita, admitti poſſit diſtinctio inter regna patrimonialia & uſufructuaria; facta tamen non præſumuntur, ſed probari debent, atque ſi probata, de iis plane non eſt controverſia. Ubi itaque ſunt tales conventiones? earum enim, quæ producuntur, exempla ſunt rariſſima, ac præter illud pactum Ægyptiorum cum rege ſuo, vix aliud extabit. Quia vero ſaltem litigatur de alienabilitate eorum regnorum, ubi tales conventiones non adſunt, & horum gratia diſtinctio ſaltem eſt inventa; recte animadverterunt viri duo illuſtres allegati; quod magis rem implicet quam explicet. Si autem quæritur in quibus regnis competat regi jus alienandi? reſpondent, ſolum in patrimonialibus. Si ulterius quæritur: quænam E. ſint regna patrimonialia? nihil aliud reſpondetur, quam ea, in quibus rex hoc jure alienandi gaudet. Et quamvis aliis adhuc diſtinctionibus objectiones tollere laborent, &

diſtin-

diſtinguant inter regna deſpotica & civilia, inter electiva & ſucceſſiva, inter voluntaria & involuntaria, nihil tamen probant, ſed exemplorum adductione rem expedire poſſe autumant. Falſum etiam eſt argumentum a translatione imperii in principem & deſcendentes ad poteſtatem alienandi. Nec hoc etiam ſtringit: populus bello victus inivit cum victore pactum de translatione imperii, E. etiam jus alienandi ei conceſſit. Pacta enim etiam ſecundum principia juris naturalis explicanda ſunt ex eo, de quo conventum; & ſibi imputet alter, quod non clarius fuerit locutus. Eodem enim modo, quo aſſeritur, populum absque dubio daturum fuiſſe, ſi princeps de eo illos rogaſſet; omnes etiam conventiones ſec. reſponſionem veroſimilem, quam loquentes daturi fuiſſent, ſi quis interrogaſſet, intelligi poſſent atque defendi. Major enim eſt præſumtio, eos non voluiſſe dare, quia non expreſſerunt, regemque noluiſſe interrogare. Deinde quæ cavillationes exorirentur, ſi unusquisque pacta ultra id quod actum, ex eo, quod paciſcentes veroſimiliter agere potuiſſent, vellet explicare. Exempla vero nil probant, ſed id ſaltem indicant, quid factum fuerit, non quid fieri debuiſſet.

§. XX.

Præterea omnes res ſtatim ac in patrimonio eſſe incipiunt, fiunt res privatæ atque dominio noſtro ſubjiciuntur. Involvit vero natura dominii, ut de re mea quocunque modo diſponere, imo & abuti poſſim, conf. Grotius L. 2. *c.* 7. *§.* 25. ſed hoc recuſat juſti imperii ſubſtantia, principes enim hunc in finem ſunt, ut populum tueantur atque conſervent, ut feliciter ſub eo vitam degere poſſint ſubditi. Ratione exemplorum quæ adducuntur bene diſſerit Ill. Coccejus in all. diſp. §. 17. *Neque obſtant*, inquit, *tot exempla eorum, qui in teſtamentis de*

regnis ſuis ſtatuerunt, eaque alienarunt: vel enim effectum non habuerunt vel conſenſu populi tacito ſ. expreſſo factæ, aut poſtea ſaltem tacite approbatæ fuerunt, vel etiam vis prævaluit.

§. XXI.

Et poſito, quod hanc diſtinctionem Grotii noſtram facere vellemus, quæ ratio adeſſet, ſi princeps poſſet diſponere in teſtamentis de tutela ſuorum liberorum, quod ea non locum haberet in uſufructuariis? cur non etiam in his præſumeretur, populum illi, cui ſummum imperium detulit, etiam facultatem de tutelis arbitrandi conceſſiſſe. Cum hæc adhuc accedat ratio, quod princeps quam optime filio ſuo ſucceſſori conſulere velit, & quod quam optime ſciat, cui hoc officium conferri, & quis adminiſtrationi reipublicæ tutelaris præeſſe poſſit.

§. XXII.

Immo ſi quæſtio de tutela regnorum teſtamentaria exemplis probari poteſt, nec hæc deſunt. Suppeditat nobis hujus exemplum regnum Daniæ. Cum enim an. 1660. S. Populus regi Daniæ imperium deferret, ejus reliquit diſpoſitioni, quam regiminis rationem eo caſu, ſi proximus regni heres minorennis eſſet futurus, obſervari vellet; ejusque ſanctioni regiæ ſe ſuosque heredes & poſteros ut publicæ & fundamentali, ſemper ſubmiſſe obſequuturos, cum jurejurando eſt pollicitus. vid. Thuanus *Lib. 120. Hiſtor. ad an. 1598.* Ita Henricus IIX. Angliæ rex diem ſupremum obiturus, filio ſuo Eduardo tutores conſtituit. Sleidanus L. *18. Comm. ad an. 1547.* De Sveciæ regno Pufendorf. *in Hiſtoria Caroli Guſtavi* L. 7. *§. 7. ad ann. 1660.* refert: Carolum Guſtavum moriturum cum conſilio ſenatus, teſtamento educationem & tutelam filii & regni curam Reginæ Hedwigen Eleonoræ, & quinque viris ſuprema in regno munera gerentibus dediſſe, ita ut regina in regimine eſſet præſes atque

duo

Digitized by Google

duo haberet ſuffragia, quamdiu ad ſecundas haud tranſiret nuptias; aliaque exempla plura, quæ ab Hertio in *diſp. de tutela regia* adducuntur.

§. XXIII.

Res itaque ita mihi videtur: Si conventiones inter populum & principem adſunt, quibus poteſtas de tutela ſucceſſori ac regno in teſtamento proſpiciendi determinata, quod omnino in talibus regnis detur tutela teſtamentaria; his autem conventionibus deficientibus, quod nullo modo illa poſſit defendi ac probari. Deprehendo quidem diſſentientem B. Hertium in *all. diſput. de tutela regia §. 11.* Qui rem invertit ita inquiens: Ubi nulla lex publica adeſt, de qua prima ſemper inſpectio eſſe debet in regnis patrimonialibus, tutelæ teſtamentariæ ſine dubio locus eſt. Sed rationes ejus adductæ non ſunt ſufficientes. Inquit enim: "nam qui regna patrimonia„lia hoc argumento oppugnant, quod liberi homines in „commercio non ſint, neſciunt inveniri ſubditos, qui a „conditione ſervorum paucillum differunt, & in jure „poteſtateve imperantium omnimodo exiſtunt, ut vel „pactis dotalibus aliisque conventionibus vel ultimis vo„luntatibus jus circa iſtos in alios tranſcribere liceat, ut „complura exempla teſtantur." Nam nemo negat, dari ſubditos a conditione ſervorum non differentes, exinde tamen non ſequitur, quod dentur regna patrimonialia præſumtiva. Hi enim libertati ſuæ renunciarunt, atque per conventiones tale dominium in principem tranſtulerunt, quod de jure naturæ facere potuiſſe unusquisque concedit. Sed quæritur ſaltem an præſumi poſſit, eſſe regna in dominio, & quæ alienari, atque de quibus diſponi poſſit ſine conventionibus ſubditorum? quod negamus. Porro pergit: "Quales erant in regno He„bræorum, qui ſibi gloriæ ducebant titulo ſervorum ap-

 „pellari,

„pellari. In Romanorum imperio certa dominorum „domus, cæteri ſervi. Apud Tacitum *1. hiſtor. 16. 2.* De „Chaucis Plinius L. *16. c. 1.* & hæ gentes, inquit, ſi vincan-„tur a populo Rom. ſervire ſe dicunt. Hinc nonnulli „ICti ex doctrina Baldi ſervis ſubditos æquiparant Cra-„vetta *Conſ. 6. n. 110. Weſenbec. conſil. 57. n. 10.* Hæc exempla quod concernit, illa plane nihil evincunt. Nam fuerunt ap. Rom. ſervi & tamen reſpubl. non erat in dominio. Fuerunt in Germ. ſervi & adhuc ſunt & tamen ut ipſe confitetur *in §. præced.* non eſt patrimonialis. Et quod de Chaucis refert, indicat ſaltem, Romanos tanquam victores in ſervitutem Chaucos traxiſſe, quod vi belli, cum hoſti in hoſtem omnia liceant, facere potuerunt, vi itaque ſervitutis alienationi erant ſubjecti. Haud vero a certis perſonis ad totum regnum poteſt formari argumentum. Immo ſi & provinciam ipſam Chaucorum occupaſſent, talique conventione eos aſſumſiſſent, ut Romani & poteſtatem alienandi provinciam habere deberent, nullum eſſet dubium, ex conſenſu Chaucorum regnum fuiſſe patrimoniale. Quia vero uti diximus, de hoc non eſt quæſtio E. male allegati ICti omnes ſubditos ſervis æquipararunt. Nam recte obſervat illuſtr. Coccejus *de teſt. princ. §. 16.* quod regna non regnantis cauſa ſint conſtituta, ſed in favorem & utilitatem ſubditorum, ut juſtitiam ille adminiſtret atque rempubl. defendat; dominium vero domini cauſa conſtituatur, totumque ad hujus uſum poteſtatemque referatur.

§. XXIV.

Ulterius pergit: "Equidem ſunt qui tutelam teſta-„mentariam a regnis etiam patrimonialibus, propterea „excluſam exiſtimant, quoniam poſt mortem regis ſive „domini omne ejus jus, poteſtas, imperium, judicium „extinguantur. Verum hæc ſententia falſa nititur hypotheſi,

„potheſi, quaſi teſtamenta fundamentum in natura nul-„lum habeant, de quo alibi.“ Mirandum virum alias doctiſſimum fundamentum teſtamentorum in natura poſitum defendere. Exploſa enim jam eſt illa ſententia illorum DD. inter formam teſtamentorum & materiam diſtinguentium. Tota enim natura teſtamenti huic repugnat opinioni, cum nihil aliud ſit, quam declaratio noſtræ voluntatis circa ſucceſſores in bona noſtra, poſt mortem noſtram, quæ tamen pro lubitu noſtro ante mortem revocabilis eſt & mutabilis & ex qua demum ab exceſſu noſtro aliis jus naſcitur. Nam quamvis natura dominii inferat, ut quamdiu dominus vivit poteſtatem transferendi juris ſui habeat, non tamen natura dominii eo ſe extendit, ut poteſtas hæc transferendi initium poſt mortem habeat domini. Inconveniens enim eſt, aliis poteſtatem tribuere, & dominium ſuum eo momento transferre, ubi omne meum dominium expiravit. Reliqua in diſcurſu. Conferri tamen quoad hanc materiam poſſunt duo magni viri Dn. Thomaſius *in Diſp. de origine ſucceſſ. teſtam.* & illuſtr. Dn. Coccejus *de teſtament. principum.* Porro, pergit, unum tantum addimus. “Si pacta, quæ in regni utilitatem ſunt compa-„rata, mortuo etiam rege perdurant, cur quod rex vo-„luit, a morte ejus acceptare non liceat? Et ſi teſtamen-„tum non valeret, poterat cum alio paciſci, qui poſt mor-„tem ſuam liberorum ſuorum tutelam gereret, quæ pa-„ctio haud dubie robur haberet. Plane ut veteri Saxo-„num & Alemannorum jure pater vivus in judicio tu-„torem eligere poterat, vid. Gloſſa Weichbildii *ad art. 26.* & jus Alemannicum Provinc. *c. 99. §. 3.* Schilt. *Ex. ad ff. 37. §. 64.* Verum a pactis ad teſtamenta non valet conſequentia. In pactis enim utriusque adeſt conſenſus, quo jus in alterum translatum, quod ſine læſione al-

ter

ter auferre non poteſt. In teſtamentis vero nulla eſt acceptatio, nullusque heredis conſenſus nulla translatio dominii, nullum heredis jus quæſitum, mutari enim poteſt teſtamentum, & alius heres ſine omni læſione inſtitui. Si itaque rex adhuc vivus cum populo conveniret, ut filio & regno tutores conſtituere ipſi liceret, populusque in eos conſtituendos conſentiret, nullum eſſet dubium quin vi hujus pacti ad hos acceptandos eſſet obligatus. Ubi autem eſt hic conſenſus populi in teſtamento, quod inſcio populo conditur, ita ut poſt mortem demum principis apertis tabulis de perſonis tutorum certior reddatur? Saxonum vero & Alemannorum mores de privatis loquuntur; horum itaque allegationem deciſionem hujus materiæ haud involvere, unicuique patebit.

§. XXV.

Si itaque teſtamentaria tutela non locum habet nonne itaque legitima ſuccedet? Et hoc non eſt ſine omnibus difficultatibus, cum & jus naturæ ne de hac quidem aliquid diſponat, ſed & hanc arbitrio hominum relinquat. Hanc ob cauſam in aperto eſt, & circa hanc mores gentium variare. Legibus XII. Tabb. proximi agnati tutores erant conſtitui, quod non ſine ſumma prudentia factum eſſe Ulpianus *l. 1. pr. de legit. tut.* putat, ut qui ſuccedendi ſpem haberent, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Solon aliter procedebat in ſuis LL. agnatis non niſi remotioribus tutelam conferens, ex ratione plane contraria, ne cupiditate ſcelerata potiundæ hereditatis, tutores, in poteſtate habentes pupillos, iis inſidiarentur. Charondas cognatis deferebat educationem, agnatis vero tutelam. Naturam hominum conſideranti facile patebit, Solonem majori cum prudentia, quam Romani, impuberibus proſpexiſſe.

Avari-

Avaritia enim homines ad nefanda crimina inducit, ac quaſi ad venena paranda & invenienda excitat. Conſideret ſaltem quis heredipetas apud Rom. materiam arrogationum, & LL. propter frequens votum captandæ mortis, latas, quæ ſatis ſuperque prudentiam LL. Rom. refutant. Defendit quidem Huberus in *Digreſſ. Lib. 3. c. 5.* Decemvirorum prudentiam legiſlatoriam, perſvaſus Solonem atque Romanos ſecundum ingenium populi LL. dediſſe. Athenienſes autem fuiſſe ingeniis inquietis, ambitioſis atque extremis, hinc populos tali periculo ſubdere noluiſſe. Romanos vero ſcelerum fuiſſe rudes; Si itaque Solon Decemviros interrogaſſet, quare non agnatis tutelam interdixiſſent? idem ſine dubio, cur Solon in parricidas nihil ſanxerat, reſponſum dediſſent, quod ſcil. non ſperaſſent, fore, ut quiſquam Romæ adeo immanis inveniretur, qui turpis lucri cauſa jugularet pupillum. Verum qui hiſtoriam inſpicit Romanam, facile ad ejus rationes poterit reſpondere.

§. XXVI.

Non deſunt itaque plurimæ hujus rei inter gentes controverſiæ. Ita ſe offert exemplum in Scotiæ regno. Cum enim Hamiltonius, quod eſſet genere proximus atque adeo heres, tutelam regis affectaret, ei protectores regis opponebant, rem eſſe periculi plenam, ejus tutelæ regem puerum committere, qui ſpem ſuccedendi haberet, cum multi tutores veneno atque armis reges interfeciſſent, ut regno potirentur. Ita ut turbulento iſto ſtatu tutores ex præſcripto Eliſabethæ traderentur, uti hoc factum refert Buchananus *L. 19. rer. Scot.*

§. XXVII.

Idem dubium etiam adeſt ratione matris, nam ne quidem ratione ejus in Jure Naturæ quid diſpoſitum reperitur, an mater an proximi debeant præferri? Quamvis

Digitized by Google

vis enim rationes in tutela agnatorum in matre non adeſſe videantur. Sunt tamen aliæ & forſan graviores, quam in agnatis ipſis. Pugnat quidem pro matre, quod tenerrimi erga filium ejus ſint affectus, & quod mortuo patre jam plena poteſtas in liberos, qui propter ætatem ſe regere haud poſſunt, jam penes matrem ſit. Videtur itaque, cum Jus Naturæ tale imperium in perſonam liberorum ei conceſſerit, etiam in eorum bona hoc extendiſſe. Sed obſtat e contrario, quod, propter incapacitatem imperium gerendi, jure aliquo hanc tutelam prætendere nequeat. Fœminæ enim vix privatis, multo minus publicis & tam gravibus præeſſe poſſunt negotiis. Habemus quidem & harum tutelarum in hiſtoriis exempla, in quibus etiam interdum imperii & hujus tutelæ haud incapaces ſe præbuerunt. Verum ſi omnia hæc exempla conſideremus, minime exinde regula poteſt adſtrui; ſed vel vi fraudibusque, fœminino ſexui propriis, vel ſpeciali populi conſenſu, tutelam ſibi acquiſiverunt. Ita habuimus tutelam matrum in regno Galliæ, les reines meres. Quod tamen & contra veterem morem factum fuiſſe videtur; cum olim quaſi ſemper agnatus proximus tutelam Franciæ gereret, uti patet ex tutela Clotarii II. Caroli VI. &c. In regno Portugalliæ lex adeſt conſenſu regni ordinum publicata, ut ſemper tutela ad matrem ſpectet. In imperio noſtro habemus exemplum Henrici IV. Imperatoris, cujus mater tutelam geſſit; quam feliciter vero ab ea geſta fuerit, unicuique, qui non hoſpes eſt in rebus noſtris German. notum erit, Grotius arbitratur, illis competere tutelam, qui a propinquis ſunt electi, ſed & hic non deſunt dubia.

§. XXVIII.

Dativam quod attinet, eam locum habere non poſſe veroſimile hanc ob cauſam videtur, quia ab agnatis

opponi

Digitized by Google

opponi poteſt, populo in regno ſucceſſivo nullam poteſtatem LL. novas condendi competere, quam diu ſucceſſio locum habet. Interim & hoc adeſt dubium, quod cum Jus Gentium de tutela nihil diſponat, ac multo minus perſonas ad eam capaces determinet, omnino populo competat de perſona ſibi proſpiciendi poteſtas, cui & impubes rex & regnum ipſum poſſit conferri. Eo magis, cum quotidiana in hiſtoriis oſtendant exempla, quod ut plurimum regna tutoria male ſe habeant. Id ipſum experta eſt Gallia ſub Carolo VI. Anglia ſub Richardo II. Henrico VI. Eduardo VI & Germania ſub Henrico IV. Imperatore. Tutores enim ſæpius non ex fide tutelam gerunt, ſæpe numero pupillos regios de medio tollunt, regnumque ſibi ipſi ſubjiciunt. Ubique itaque ſe offerunt dubia, ubique occaſiones ad bella capeſſenda.

§. XXIX.

Paucis etiam conſiderandum eſt, quando hæc tutela finiatur; quod tam difficulter definiri poteſt, quam omnes hactenus perluſtratæ controverſiæ. Jus Naturæ enim ne in hoc quidem aliquid diſpoſuiſſe videtur, ſed ad pubertatem ſaltem, tempus illud extendiſſe. Quando vero hæc pubertas finiatur, & quando princeps regni ſui adminiſtrandi capax ſit? id ipſum reliquit indeciſum. Optime itaque ſibi conſulit populus, ſi & hoc determinet, & litibus inde orituris, cauſam tollat. Jus enim Rom. in ſummis poteſtatibus rem decidere haud valet.

§. XXX.

Hinc vix aliqua in re tam diverſa ſtatuta inveniuntur. Alii putant terminum hunc a pubertate debere re incipere, cum incipit poteſtas generandi. Eam enim ætatem, quæ ad generandum eſt habilis, etiam ad res adminiſtrandas eſſe capacem. Apud omnes itaque gen-

tes rem invenimus determinatam. Ita Longobardorum jure minorennitas olim XIIX. ann. determinabatur. In Anglia ætas viginti & unius annorum pro juſta habetur. Jus Rom. annum XXV. ſtatuit. In Gallia annus XIV. determinatus reperitur. In regno Sveciæ Guſtavi regis temporibus, hereditarius regni ſucceſſor, anno ætatis XVIII. maturus regno cenſebatur.

§. XXXI.

Et nullum adeſt dubium, ſi rex adminiſtrationem regni ſui ſuſcipere velit, invitum teneri haud poſſe, ut tutelæ ac tutoribus ſubſit, niſi regni lex adſit. Ita habemus exemplum in Franciſco II. rege Galliæ, qui XV. ſaltem annos adimpleverat, cum nullos amplius habere tutores, renitente matre Catharina de Medices: quod pro juſto etiam agnovit Philippus II. rex Hiſpaniæ, qui litteris ad regem ſcriptis promittebat, ſe contra omnes uſurpatores ei aſſiſtere velle & d'etre tuteur & protecteur de luy, de ſon roiaume, de ſes affaires, contre ceux, qui voudroient changer le gouvernement de l'etat, comme ſi le Roi n'etoit capable de l'adminiſtrer vid. Serra ſur l'ann. 1559. Et optime etiam obſervat Ill. Dn. Coccejus *in alleg. Diſp. §. ult.* quod, rege permittente & concedente, tutores ad maturiorem ætatem procurationem extendere poſſint; uti rex Galliæ Ludovicus XIV. 7. Sept. 1661. ingreſſus annum 24. eam de manu matris accepit.

§. XXXII.

Sunt etiam nonnulli qui tutelam a cura diſtinguunt, atque inter curam & tutelam principum differentiam ſtatuunt. Verum recte obſervavit Bachovius *ad Tit. I. de curat.* quod hæc Diſtinctio mere ſit juris poſitivi & Romani, neque ullam rationem vel ex rerumpubl. inſtitutis, vel ex Jure N. habeat.

§. XXXIII.

Digitized by Google

§. XXXIII.

Ante omnia ventilanda jam eſt quæſtio, quænam poteſtas tutoribus vel curatoribus regiis competat? Si Hugonem Grotium audimus illis adſcribit *L. 1. c. 3. §. 11. n. 2. de J. B. & P.* ſummam poteſtatem, hac adjecta limitatione, ſi ita ſint conſtituti, ut neque populo ſubſint, neque eorum poteſtas ante legitimum tempus poſſit revocari. Agit vero ibidem Grotius de quæſtione multum inter DD. agitata, an dari poſſit ſumma poteſtas, quae non ſit perpetua? Quam affirmare videtur, dum dicit: Duratio naturam rei non immutat, quanquam ſi de dignitate quaeritur, quae Majeſtas dici ſolet, dubium non eſt, quin ea major ſit in eo, cui jus perpetuum datum eſt, quam cui temporarium; quia ad dignitatem facit habendi modus. Ad cujus illuſtrationem & probationem tutorum allegat poteſtatem. In quo cum Grotio conſentire, nullum mihi adeſſe videtur dubium, & vapulant illi, qui objectione quadam ſententiam Grotii de ſumma poteſtate deſtruere allaborant. Non enim pugnat ſummum eſſe & ſimul temporarium, & plane non convenit rebus moralibus, ut earum natura a tempore aeſtimetur, cum ex operationibus cognoſcatur. Hae vero poſſunt eaedem eſſe ſive in brevi, ſive in longiori tempore finiantur, uti recte obſervavit Huberus *de jure civ. p. 72. §. 47.* ſed tota res exinde debet decidi, an depoſito imperio, ad rationes reddendas, poenamque de iis ſolvendam obligari poſſit, vel non. Priori caſu contra naturam ſummae poteſtatis pugnaret, ſi quis ſummum imperium ſeu ſummam majeſtatem tali principi adſcriberet; poſteriori vero nullam video cauſam, cur non poſſit defendi, majeſtatem dari temporariam.

§. XXXIV.

Quaeſtionem autem de tutoribus ipſam quod concernit, commentator Grotii Bœclerus *p. m. 243.* non ejusdem cum eo eſt opinionis. "Non enim, putat, ſuum ſed „alienum jus tutores tractare. Summum vero ut dica„tur imperium, non tantum ſpectandum eſſe modum „habendi, ut tempore definitur, ſed quo titulo & for„mula, ſuo denique an alieno jure habeatur. Zieglerus *de Jure Majeſt. L. 1. c. 1. §. 42.* opponit Grotio exemplum regis dormientis & quidem, ut ipſamet ejus verba producam, ita dicit: "Hac igitur ratione dictatori Rom. „optimo jure tribuimus Majeſtatem. Sed quod ean„dem eodem modo iis quoque aſſerat Grotius *cit. loc.* „qui, antequam reges ad ſuam tutelam pervenerint, aut „dum furore, aut captivitate impediuntur, curatores „conſtituuntur, in eo dubios nos relinquit, & tantum „non diverſa ſentientes. Aut enim penes reges pupil„los, furioſos non eſſe majeſtatem aſſerit Grotius, aut „eſſe concedit. Si prius, eadem ratione nec dormienti „aut ægroto principi Majeſtatem competere dixero, ſed „iis potius, qui curam Reipubl. interea habeant; Sin po„ſterius majeſtatem duobus competere & ſic diviſam di„cet, quod iterum, niſi de juribus diviſis exacte conſtet, „aſſerendum haud eſt. Reſtat igitur ut ejusmodi cu„ratores qua tales, pro veris Majeſtatis poſſeſſoribus non „habeamus, quippe quam nec ipſi ſibi vindicant, dum „ſcil. tutorio & curatorio nomine ſingula a ſe fieri pu„blicis & privatis aſſerunt literis, quod facere tantæ ma„jeſtati, ſi haberent, injurium foret & indecorum. Hactenus Zieglerus. Cum quo etiam conſentit D. Becmann *Diſp. 12. medit. politic. §. 10.* aliique plures.

Digitized by Google

§. XXXV.

Si dicere jam debemus, quid nobis videatur, conſiderata natura ſummae poteſtatis, Grotio aſſentiri, contrariae rationes non admittunt. Eſt enim ſumma poteſtas, quae nullum agnoſcit ſuperiorem, cujusque actus nullo humanae voluntatis arbitrio poſſunt infirmari, neque ad rationes reddendas obligari. Summum enim eſſe & ſuperiorem tamen agnoſcere debere contradictoria eſſe, omnibus notum eſt, quae in uno eodemque ſubjecto ſubſiſtere haud poſſunt. Quae enim Majeſtas, quae aliorum Legibus ſubjecta? quae puniri, deponi & ratione ſuarum actionum judicari poteſt? Quod hac poteſtate tutores vel curatores regii gaudeant, nullo modo poteſt affirmari. Si enim ſummam haberent poteſtatem, omnia pro arbitrio ſuo peragere atque expedire poſſent, nullo reſpectu habito, an regio pupillo proficerent, vel non. Non opus eſſet, ut LL. nomine regis conderentur, ut fœdera ejus nomine inirentur, ut litterae ad alias respubl. directae, nomine regis eſſent ſcriptae. Imo impubes ipſe multo deterioris eſſet conditionis, quam unusquisque privatorum. Privatus ſi a tutore vel curatore laeſus, atque non eodem, quo par eſt, modo negotia ejus fuerunt geſta, reſtitutionem petere, ad rationem reddendam tutorem adigere, atque omni modo de damno, ex tutela ſibi illato, in tutoris perſona ſibi poteſt proſpicere. Et quamvis objicere velis, hæc omnia juris Civ. eſſe, ſecundum quod actiones principum non poſſint determinari ac definiri. Videntur tamen LL. civ. de hoc nihil diſpoſuiſſe, quod juri naturae repugnet, atque tutores ad aliquid praeſtandum cogat, a quo jure gentium ſint abſoluti. Quamvis itaque non eodem modo a tutoribus principum exigi poſſit ratio, ſufficit, quod tamen ad reddendam rationem ſint obligati.

§. XXXVI.

Digitized by Google

§ XXXVI.

Si hæc itaque ita ſe habeant, quid obſtat, quo minus illis ſummam poteſtatem denegemus eosque non aliter ac miniſtros vicariosque regni conſideremus? Quamvis enim alii defendant, apud regentem ſive apud tutorem vel curatorem arbitrium belli & pacis eſſe, fœdera ineundi, Leges dandi, pœnas ſumendi, collectas exigendi, officia publica diſtribuendi aliaque plura peragendi, quæ a nemine, niſi ſummam poteſtatem habente, exerceri atque in actum deduci poſſint. Ubicunque itaque ſint effectus, ibi etiam neceſſario cauſam eſſe debere. Sicut enim in negotiis privatis ab effectibus argumentemur ad cauſam, & ille qui poteſtatem habet, alienandi, rebus pro lubitu utendi & abutendi, eas frangendi atque pro arbitrio ſuo de iis ſtatuendi, omnino etiam habeat dominium; Ita etiam hæc omnia non aliter eſſe in tutoribus & curatoribus. Attamen non nego quidem, hæc jura omnia recenſita tutoribus competere, quatenus felicitas reipublicæ ea exigit, ac LL. publicis non ſunt eis prohibita: Haud tamen concedo, quod hanc ob cauſam ſumma majeſtas tutoribus poſſit adſcribi. Firma enim manet theſis: Illum ſummam poteſtatem non poſſe habere, a quo, finitio officio, ratio actionum ſuarum poteſt exigi. Conſtat vero tutorem regium ad ea teneri, ad quæ omnis adminiſtrator alienæ rei obligatur; ut ſcilicet rem gerat ex fide, & ut pupillo adulto reddat rationem & reliqua præſtet.

§. XXXVII.

Opponunt quidem ulterius, dari exempla, ubi ea plane non exigantur, ita ut liberam habeant rerum adminiſtrationem atque ſolo cognomine a regibus differant; ſed & hæc nihil ad rem faciunt; etſi enim non poteſt negari, dari talia in hiſtoriis exempla, ex iis tamen haud formari

formari poteſt regula. Patet etiam ex omnibus quod remiſſio rationum redditionis vel indulgentia regis, vel ex veneratione erga tutorem facta ſit, vel in LL. regni ipſis ita de ea ſit conſtitutum. Ita proſtat exemplum Angliæ, ubi tutores rationes ſuſceptorum plane reddere non ſunt obligati, ſed inſtar dominorum regnum interim adminiſtrant. Ita enim Hertius in *alleg. diſſ. ſect. II. §. 2.* exempla tutorum refert, qui reges interim creati, atque, ut majori cum auctoritate regnum gubernarent, in regem coronati ſunt. Ita refert exemplum Odonis ſive Eudonis Burgundiæ ducis, Caroli ſimplicis tutela a Francis donati atque coronati. Ita etiam refert de Balduino II. Conſtantinopolitano Imp. quod ipſi in puerili ætate adhuc conſtituto delectus fuerit Joh. Briennenſis Exrex Hieroſolymitanus. Ita in Germ. Imperio Philippus ſub regis nomine imperium ſuſcepit, cum jam Henricus IV. rex a patre eſſet conſtitutus.

§. XXXIIX.

Quaeſtionem vero ipſam diſſertationis quod concernit, primaria jam quaeſtio eſt: An impubes princeps ex factis ſui tutoris ſit obligatus? Si rem in genere conſideramus, videntur eorum defendi debere ratiocinia, qui & principibus reſtitutionem adſcribere ſatagunt, atque hunc in modum rem defendunt. Firmo, putant, niti argumento, quod principes haud deterioris eſſe poſſint conditionis quam privati, & quod omnibus illis commodis, quae privatis poſſunt adſcribi, etiam principes gaudeant. Si itaque ex Jure Gentium deciſio petatur, quod tunc ſine dubio tutores, eum in finem uti & nos ipſi ſupra demonſtravimus, fuerint conſtituti, ut commoda impuberum promoveant, atque in his rebus eis proſpiciant, quarum ipſi propter aetatem adminiſtrationem gerere, ſuamque utilitatem promovere non poſ-

Digitized by Google

ſunt. Plurimam enim partem gentium, dicunt, tam peſſimae eſſe conditionis, ut neglectis omnibus regulis, ſtudio laboret, alios decipere, doloſe ad contrahendum inducere, ac quocunque modo, etiam cum aliorum laeſione utilitatem ſuam promovere, ita ut gloriae ſibi ducat, ſuamque aſtutiam ſub pallio prudentiae laudet, ſi alios decipere, fraudes committere, conventiones intervertere, atque aut per reſervationes mentales, aut doloſas verborum interpretationes, aut etiam vi armisque pacta atque fœdera queat violare. Quid enim inquiunt alias opus eſſet, tam plurimis cautelis, tam multis limitationibus, tantisque circumſtantiis? Cum itaque neque adulti ſibi ſatis ſuperque poſſint proſpicere, atque negotia ſua ſatis prudenter gerere: quam male conſuleretur impuberibus? Hinc itaque colligunt, ſi tutores aliter ſe geſſerint, atque non eo, quo par eſt, modo, negotia adminiſtraverint, quod neceſſario non ſolum jus rationum redditionem exigendi, ſed etiam alia remedia atque auxilia impuberibus competant. Quamvis enim reſtitutio in integrum ſit terminus juris Civilis, haud tamen negari poſſe, ſibi perſuadent, eam, ſi a ſubtilitatibus Rom. abſtrahamus, in jure naturæ ipſo eſſe fundatam, ita ut interdum actus tutorum reſcindi atque annullari poſſint. Quod etiam Leges civiles haud neglexiſſe arbitrantur, ſed terminos poſuiſſe tutelari adminiſtrationi, variaque etiam contra male geſta tutorum remedia ſuppeditaſſe. Reſtitutionem enim in integrum minoribus conceſſam, ad omnia illa negotia extendi poſſe, quæ vel geſta, vel gerere omiſſa fuerint.

§. XXXIX.

Imo & ulterius adhuc pergunt: Naturam humanam principes iisdem imbecillitatibus ſubjeciſſe, in eadem eos vivere ignorantia, non meliori, quam alii, modo

do

do negotia ſua gerere, rebusque ſuis præeſſe, eodem modo lædi, circumveniri & violari poſſe. Quia itaque eum in finem eis conſtituantur tutores, eaque fides ac diligentia eorum tutoribus incumbat, cur, dicunt, non etiam, ſi læſi inveniantur, iisdem etiam modis iis deberet ſubveniri? Immo adhuc meliori modo iis proſpici debere putant, cum non tali modo ex actis tutorum ſuorum, ac privati obligari poſſint, propterea quod privatorum tutores multo facilius ad damnum reſarciendum poſſint obligari; cum ut plurimum tantum in bonis habeant, ut iis ſatis ſit proſpectum: Sed in regnorum tutela rem non ita eſſe comparatam; quomodo enim plurimi horum tutorum ſatisfactionem præſtare poſſent ratione ſuorum geſtorum? quomodo ea reſarcire, quæ bellis deperdita, mala adminiſtratione inania reddita & ſimilia plura? Facile E. exinde concludi poſſe exiſtimant, majora adhuc naturæ jure impuberibus competere remedia, ac facilius reſtitutionem in integrum eos petere poſſe qûam privati ipſi. Verum hæc omnia nodum haud ſolvunt, hinc recte adhuc quærimus, an princeps damnum aliquod non leve, durante ſua minorennitate, a ſuo tutore paſſus, illud in ſe recipere, atque ſine omni in integrum reſtitutione ex omnibus tutorum geſtis poſſit obligari? Graviter errant qui deciſionem hujus quæſtionis ex jure Rom. petunt, atque omnes ejus diſpoſitiones ex jure naturali fluere defendunt. Poſſunt enim ſecundum ejus conſtitutionem nulla negotia tutorum & curatorum in præjudicium pupilli tendere, ſed vi reſtitutionis in integrum invalida reddi, ac pro nullis haberi. Quamvis enim reſtitutio in integrum non ſit contra Jus naturæ, ſed multo magis, dum magiſtratus his legibus proſpexit pupillis, & eas reipublicæ utiles eſſe putavit, cum eo conveniat, aliæ tamen ejus adſint rationes, quæ

ad principes non poſſunt applicari. Nam Jus Rom. ipſum quod concernit, videtur reſtitutio in integrum hanc ob cauſam a prætore fuiſſe inventa, quia jure Romanorum minores, curatores habere, niſi in lite, non cogebantur *§. 11. I. de curat.* ſed negotia & bona ſua ipſi poterant adminiſtrare. Cum itaque hoc modo læſionibus ac circumventionibus eſſent expoſiti, prætor inveniebat reſtitutionem, quam forte haud inveniſſet, ſi ordinarie habuiſſent curatores. Hinc etiam eſt, quod in pandectarum corpore, vel plane uulli, vel ſaltem rariſſimi, in actibus extrajudicialibus caſus de minorum reſtitutione, curatores habentium inveniantur. Poſteriobus vero temporibus, hæc reſtitutio Prætoria eo extendebatur, ut etiam in actibus judicialibus ubi minoribus ſine curatore agere plane non erat permiſſum *L. ult. ff. de in integ. reſtit.* nullum eſſet dubium, quin hoc remedium ambabus acciperetur manibus. Quæ diſpoſitio tam favorabilis minoribus viſa, in tantum ſe extendit, ut etiam ſub Alexandro, in negotiis extrajudicialibus minorum quamvis curatores & tutores intervenirent, adhiberetur *l. 2. & 3. C. ſi curat. interven.* Has Leges Rom. ignorabant Germani, ac reſtitutio in integrum in foris eorum non audiebatur. Semper enim apud illos receptum erat, ut minores æque ac impuberes ſuos haberent tutores. Si itaque minor læſum ſe putabat, ipſum conveniebat tutorem. *Jus Prov. Suev. art. 316. §. ult. art. 317. 318. §. 1. & 2.* Quamvis vero jus Rom. poſtea receptum fuerit, plurimi tamen dubitant, an hæc reſtitutio in foris noſtris ſæpe compareat, vi cujus minores in contractibus, vel alienationibus cauſam obtineant, niſi evidens adverſarii dolus vel ſimile quid adſit? vid. omnino Ill. Dn. Thomaſius *in not. ad ff. tit. de reſtit. in integr.*

§. XL.

§. XL.

Quamvis itaque in foro civili reſtitutio in integrum, minoribus conceſſa, poſſit defendi, atque prudentia Legislatoris laudari; aliæ tamen adſunt rationes, quæ in principe locum invenire non poſſunt. Non enim ſemper tutor ac curator ea gaudet prudentia, quæ in gerendis negotiis humanis requiritur, non ſemper ita eorum comparata ſunt bona, ut regreſſus contra tutores ſumi poſſit. Immo & propter iniquitatem proceſſus in noſtris foris recepti, non ſemper, etiam in juſta cauſa, favorabilem ſibi promittere licet eventum; Sæpe enim fieri poteſt, ut minores cauſam ſuam in judicio amittant, in ſe juſtam ac bonam, ita ut non niſi per in integrum reſtitutionem illis ſubveniri poſſit. Sæpe fieri poteſt, ut magiſtratus ipſe cum tutore vel curatore colludat, aliæque rationes plures.

§. XLI.

Hæc in tutela & cura principum non præſumuntur. Etſi enim regreſſus principis contra tutorem ipſum multo ſit difficilior, cum maxima ex parte in his rebus conſiſtat læſio, ad cujus reſtitutionem vires regentis non ſunt ſufficientes; habet tamen tutor ſuos conſiliarios, negotia magis judicio omnium hominum ſunt ſubjecta, magis poſſunt prævideri; ut alias rationes plures taceam. Immo ſi poſt minorennitatem principibus liberum eſſet, omnia reſcindere a curatoribus geſta, quis cum eis contraheret, atque ullum ſuſciperet negotium? Semper enim metuendum eſſet, ne forſan inutile vel plane non proficuum videretur minoribus, forſan allegarent, neſcio quam læſionem, quia totus actus redderetur nullus. Nemo itaque iniret cum curatoribus fœdera, nemo pangeret reipubl. forſan valde neceſſarias conventiones; deterioris itaque eſſent conditionis quam

 privati.

privati. Nam reſpectu horum cautelæ adſunt, quibus unusquisque ſibi proſpicere, atque in integrum reſtitutionem pervertere poteſt: Adeſt magiſtratus, qui rem cognoſcit, judicat, diſcernit, atque de negotio ipſo ſententiam pronunciat. Quæ omnia ceſſant apud principes; hic nullæ ſufficiunt cautelæ, nullum illi agnoſcunt ſuperiorem, & ſententiam nemo pronunciat, quam arma ipſa. Verum ſicuti in foro civili non omnes amant ſtrepitum judiciorum, ſed multo magis eum abhorrent, ac potius injuriam patiuntur, quam ut proceſſus deciſioni rem relinquant. Ita etiam in ſtatu naturali, in quo principes vivunt, multi odio habent bella, fugiunt arma, ac multo magis utilitatem ſperandam vilipendent, quam ut armis eam qùærere atque defendere allaborent.

§. XLII.

Quod reliquum eſt, omnes illi vapulare mihi videntur, qui ſtatum naturalem cum civili confundunt, atque ea quæ inter ſubditos locum habent, ad principes applicare geſtiunt. Præter enim adductas rationes, maxima ſe offert differentia. In ſtatu civili minores, tutores vel curatores, & perſonæ cum his contrahentes, ſub eodem degunt magiſtratu, aut ſaltem coram eodem magiſtratu poſſunt conveniri. Si itaque una vel altera pars unum vel alterum circumvenit, lædit, illudque facere recuſat, quod de jure poteſt exigi, magiſtratus adeſt, quem implorare, & ſic omnibus læſionibus prævenire poſſunt. Hanc enim ob cauſam adeſt magiſtratus, ut lites ſopiantur, atque unicuique jus ſuum dicatur. Læſis itaque minoribus ac reliquis cum iis contrahentibus ſubveniunt LL. ita ut minores reſtitutionem in integrum petere poſſint, alii vero ſibi imputent, quod non melius ſibi proſpexerint. Vigilantibus enim LL. ſunt ſcriptæ; ſi itaque cum minoribus contrahentes, læſi fuerint, non legibus,

legibus, non magiſtratui, ſed ſibi ipſi, quod eas cautelas, quas LL. conceſſerunt, non adhibuerint, hanc negligentiam imputare debeat. Quis enim ſibi poterit favorem legum promittere, cui patet minorennes eſſe, cum quibus contrahit, eosque ſpecialibus juribus gaudere? Nam ſicuti illi, cui non eſt ignotum, eum, qui pecuniam mutuo petit, eſſe filiumfam. & adeſſe legem quandam prohibitivam, ne aliquis ei pecuniam ſuppeditet; & nihilominus tamen aliquid mutuo dat, nulla conceditur actio, ita pari modo res etiam ſeſe habet in minoribus.

§. XLIII.

Hæc omnia vero ad minorennes principes minime poſſunt applicari; in his enim omnes leges civiles ceſſant, nulla poteſtas judicum adeſt, cum nullum in hac terra neque judicem, neque ſuperiorem agnoſcant; cui ſolum ii ſunt ſubjecti, qui in ſtatu degunt civili. Inconcinnum itaque eſſet, horum conditionem & ſtatum ex juribus privatorum determinare, iisque juribus, quæ ſubditis conceſſa ſunt contra alios, alligare velle principes. Si enim in omnibus actionibus ac negotiis a tutoribus geſtis concederetur in integrum reſtitutio minoribus, quæ bella, quæ turbæ, qui interitus rerumpublicarum inde orirentur? ſi enim tutores alterum armis poſſent invadere, hoſtibus alterius aſſiſtere, & alter, ſi victus armisque ſubjectus eſſet pacem petere, omnibus ſuis juribus ac prætenſionibus renunciare, terras atque provincias cedere, atque ad hæc pacta ſervanda eſſet adſtrictus: Econtrario vero, ſi arma tutorum infelicem haberent eventum, ſi ad pacem offerendam jam eſſent coacti, ſi pax iterum fuiſſet ſtabilita atque pactis ac conventionibus confirmata; Et ſic minorennis poſtea hæc omnia iterum ſubvertere atque ab iis recedere poſſet, totum jus naturæ redderetur inane, nihilque aliud eſſet,

quam

Digitized by Google

quam prætextus omnia evertendi omniaque negotia in ſuum interpretandi favorem.

§. XLIV.

Hoc enim conceſſo minorennitas eſſet prætextus omnia jura gentium atque pacta ſubvertendi, præſidium eſſet omnia exequendi mala. Terror eſſet omnibus vicinis, qui nil quam bellum, incurſionem provinciarum ac forſan totalem interitum ſuarum rerumpublicarum ob oculos quotidie haberent. Et quis injuſtitiæ vicinos accuſaret, ſi ſtatim mortuo rege, ſucceſſoreque minorenni relicto, arma arriperent, atque commune proverbium in uſum deducerent: Melius eſſe prævenire quam præveniri. Nam quamvis in medium proferre vellemus, conſideranda eſſe negotia ipſa, an minoribus eſſent favorabilia an odioſa? An bellum a tutore inchoatum eſſet juſtum, an injuſtum? Verum quis eſſet judex? quis judicaret, an minorenni eſſet favorabile vel non? cum praeterea omnibus pateat, in favorabilibus & odioſis pro & contra poſſe diſputari, & ſemper adeſſe cauſam, vi cujus negotium geſtum, tanquam odioſum, iterum poſſit everti. Si enim tutor cum alio principe forſan fœdus iniiſſet, aut, rege inter arma mortuo, pacem cum hoſte ſtabiliviſſet, nonne poſtea allegare poſſet minorennis fœdus ſuo regno odioſum eſſe, commercia eo deteriorari, ſubditis ſuis utilitas, quam alias capere poſſent, auferri, magis ſibi proficuum eſſe, ſi neutralitatem, ut ita loquar, teneret, quam fœdere aliquo unius ſe adjungeret partibus? Ita non poſſet non, quin bellum ex bello oriretur, ac ſubditi ſub perpetuis gemiſcere deberent armis.

§. XLV.

Quod bellum juſtum vel injuſtum attinet, plane eſt impoſſibile, quod res exinde poſſit dijudicari. Nam quam-

quamvis inter cauſas belli juſtas & ſvaſorias communiter dividi ſoleat, difficillimae tamen dijudicationis eſt, in quo conſiſtant, cum plerumque ex eventu de cauſa juſta vel injuſta belli homines formare ſoleant judicium. Quamvis enim haud negandum ſit, duas eſſe juſti belli cauſas intuitu perſonarum principalium, defenſionem nempe contra vim injuſtam, & recuperationem quietis injuſte turbatae: Haud tamen ſublata eſt difficultas, in quo nam conſiſtat defenſio. Unusquisque enim provocat, ſuum bellum eſſe juſtum, eſſe defenſivum, alterum cauſam dediſſe. Si itaque cauſæ non evidenter injuſtæ ſunt, nunquam deerunt argumenta probabilia, vi quorum cauſæ injuſtæ pro juſtis poſſint venditari.

§. XLVI.

Solent quidem alii adhuc objicere, quod ſcil. in tutela legitima, tutores tanquam agnati jure proprio tutelam gerant, regnoque præſint, & tutela depoſita, regnique adminiſtratione in principem jamjam majorennem factum translata, ad nullam rationum redditionem poſſint obſtringi, ſed quod potius conſiderari debeant, ut reges ipſi, qui durante tutela de proprio ſuo diſponere poſſint. Verum haud leviora hic ſeſe offerunt dubia. Nam ſupra demonſtravimus, quod etſi cum jure naturæ plane non pugnet, ſi redditio rationum tutoribus remittatur, nullo tamen fundamento poſſit defendi, jus naturæ hanc remiſſionem exigere, atque tutores ab ea ſolutos pronunciare. Si itaque ſecundum ſtatuta rationum reddito remiſſa eſt, pars læſa non habet, de quo conqueratur; cum alias omnibus injuriis, graviſſimisque bellis janua pateret; ſibi enim imputet reſpublica quod non arctius poteſtatem tutorum reſtrinxerit. Si vero a rege ipſo remiſſa ſit, damnum exinde poſtea ortum, ſibi ipſi debet adſcribere. Alias enim

ſi rex, nullo habito reſpectu iſtius remiſſionis, & tributæ tutori plenæ omnia pro arbitrio agendi facultatis, damni, quod forſan paſſus eſt, reſtitutionem petere, omniaque negotia a tutore geſta annihilare poſſet, nihil eſſet impedimento, quo minus nationes exteræ pro lubitu bella inire, & ſic jura, ex factis iſtius tutoris ſibi acquiſita, vi armata defendere poſſent. Nam ſi fœdus principi favorabile eſſet, alter ad illud obſervandum obligaretur, ſi vero exitus non reſponderet intentioni tutoris, aut bellum inchoatum adverſa ſumeret fata, remiſſio rationum redditionis ſalvum ſemper atque ſecurum reddere poſſet principem.

§. XLVII.

Et poſito, quod ratio nonnullorum valeat, qui putant durum eſſe atque iniquum, ſi a nobis defendatur, quod princeps minorennis ab omnibus lædi, atque ex omni facto ſui tutoris iniquo, obligari poſſit, ita ut neque reſtitutione in integrum, neque alio aliquo remedio ei poſſit ſubveniri. Nihil tamen exinde contra noſtram ſententiam poteſt evinci. Nam quamvis haud queat negari, quod maximum interdum minorenni ex factis ſui tutoris inferatur damnum, ac præjudicium; melius tamen eſt, ſi minorennis ſaltem lædatur, quam ſi, reſtitutione in integrum illi conceſſa, plurimarum Rerumpublicarum exinque ſequatur interitus. Omnibus enim patet, quod hoc modo regna tutoria omnium eſſent feliciſſima, cum nunquam propter reſtitutionem in integrum, qua gauderent, aliquid a regno amitti atque abripi poſſet. Infelices vero e contrario omnes eſſent vicini, quorum regna inſultibus tutorum eſſent expoſita. Nemo vicinorum unquam eſſet ſecurus. Nam quamvis inter privatos, contractus cum minorennibus initi claudicare dicantur, ita ut alter quidem, non vero

pupil-

Digitized by Google

pupillus, exinde ſit obligatus, adeoque id ipſum in principibus minorennibus etiam locum habere poſſit, ita ut alter nimirum ſibi imputare debeat, quod cum tutore contraxerit ac fœdera inierit; diverſa tamen plane hic eſt ratio: privati enim ſuum habent judicem, qui, quamvis minorennibus omnimodo proſpicere debeat, ſimul tamen aliis ſuppeditat cautelas, quibus deceptionem ac damnum, a minorennibus ſibi metuendum, poſſint evitare. At inter principes uti ſupra diximus, nullus adeſt judex omniaque illa ceſſant, quæ inter privatos locum habere poſſunt. Præterea inter privatos, contractus cum minorennibus poſſunt evitari, cum alii adſint, quibus eadem noſtra utilitas poſſit promoveri. Quod vero inter principes ſecus ſe habet; non ſemper enim eadem utilitas reipublicæ ex fœdere accreſcit, ſi cum hoc, quam ſi cum alio quodam fœdus aliquod ineatur. Non enim omnes æqualia mihi præſtare poſſunt auxilia, non eadem cum omnibus commercia ſtabiliri. Imo & hoc conſiderandum, quod inter privatos, non metuenda ſint bella, non invaſiones, quæ omnia in Rebuspublicis obveniunt. Hinc non tanta læſio, non tantum damnum, atque rerumpublicarum interitus adeſt. Non exigitur pax, ruina provinciarum ignoratur, nulla effuſio ſanguinis, ac totius populi, pluriumque millium hominum miſeria atque interitus in negotiis privatorum imminet.

§. XLIIX.

Majori etiam poteſtate principum gaudent tutores, quam privatorum. Hi enim magiſtratum minorennium tanquam inſpectorem conſiderare, nulloſque actus graves, atque ex quibus haud leve metuendum eſt damnum, ſine decreto poſſunt peragere. Illi vero principum omnia exercent regalia, nullum agnoſcunt ſuperiorem, cujus auctoritate & conſenſu opus habeant,

omnia peragunt nomine regis, & ipſius regis inſtar, quod nomen regentis infert, habentur. Reſtitutio vero minoribus conceſſa ſine omni damno reipublicæ ac metu majoris alicujus mali peti poteſt atque concedi. Unde etiam recte loquitur Pufendorſius: quemadmodum, qui in libertate naturali vivunt nemini mortalium ſubjecti, ſuarum rerum ipſi ſunt arbitri; ita ſi ab altero in pacto juſte lædantur, ipſi per ſe reſtitutionem ac ſupplementum exigere poſſunt, modo læſio & injuria ſit manifeſta. Major itaque præcautio eſt adhibenda, quo majus ex tali reſtitutione metuendum eſt damnum; ac multo minus concedenda reſtitutio, quo majori cum læſione & miſeria multorum populorum illa exigitur ac perpetratur. Aliud tamen dicendum eſſe videtur intuitu contractuum cum ſubditis initorum. Nulla enim obſtat ratio, quo minus ipſe iſto LL. beneficio frui poſſit, quod aliis indulget. Alias enim deterioris eſſet conditionis, quam privati ipſi. Neque unquam præſumendum eſt, quod Princeps exceptioni minorennitatis renunciaverit. Rex enim, quoties cum ſubditis ſuis pacta init, atque alios actus exercet, non ut rex, ſed ut privatus conſideratur, qui omnes LL. civiles, quæ ſuper validitate talium actuum extant, ob oculos habet; quamvis non ſit obligatus, ut in privatis actibus eas leges ſequatur. Quæ omnia Pufendorffio etiam arrident, ita ut eandem nobiscum gerat ſententiam, ita inquiens: *Pacta cum extraneis per tutores regios legitime inita, rex ſub obtentu minorennitatis poſtea revocare non poteſt; quia alias nemo ſecure cum rege minorenni paciſci poſſet, vid. Pufend. de J. N. & G. lib. 8. c. 10. §. 2. 3.*

§. XLIX.

Ergo nullo modo ſuccurritur minoribus, tutorum actibus, læſis? Reſpondet *Pufendorf. cit. loc.* Tutores tamen

Digitized by Google

men adminiſtrationis ſuæ reddent rationem. Sed quid ſi damnum, quod minores perpeſſi ſunt, ab iis non poſſit reſtitui? Nihil aliud reſponderi poteſt, quam quod iis ipſis iſtud ſit imputandum, quibus tutores conſtituendi competat facultas; majori enim in culpa ſunt, quam vicini principes, cum prudentioribus conſiliis ac ſtatutis proſpicere potuiſſent reipublicæ; hoc itaque negligentes habeant, quod ipſi deplorent. Iſte enim tutor, quem ſemel exiſtimarunt idoneum ad bella gerenda & pacta celebranda, poſtea, ob damnum aliquod adverſa fortuna minorenni illatum, tanquam inhabilis rejici atque contemni nequit. Similis enim ratio reſpectu tutoris locum habet, quæ intuitu Principis cujusdam obtinet, qui milites conducit, arma comparat, atque jam bellum declarat, haud conſiderans, an vires hoc patiantur, an nervus rerum gerendarum adſit, an exercitu cæſo alius miles poſſit numerari; Hoc enim caſu cæſus ac devictus ſibi imputet, quod non melius ſibi proſpexerit. Si enim jus habere ſibi perſuadet, alterum invadendi, omnino etiam alteri competit jus ſeſe defendendi, & omnia illa ab altero exigendi, quæ invaſor exegiſſet, ſi victoriam adeptus eſſet.

§. L.

Omnibus his probe intellectis, jam apparet, quomodo intelligendus ſit *Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 14. ſ. 1. n. 2.* dum dicit: ex civili jure non admittendam eſſe exceptionem regum adverſus contractus regios, quos minorennes feciſſent. (*confer. m. Henneges ad Grot. p. 668. ſeq.*) Cum enim Jus Civile, ad actus regios plane protendi nequeat, neque etiam reſtitutio in integrum ex capite minorennitatis, quatenus formam habet a Jure Civili, ad illos poteſt accommodari. Quam ob rem omnes illi vapulant, qui ad quasvis res publicas leges

Rom. in favorem pupillorum & minorum latas v. g. *L. 4. c. quibus ex cauſſ. major. L. 9. ff. de appell. L. 1. C. de officio ejus qui vice alicujus jud. L. 3. C. de jure Reipubl.* nimis generaliter applicare ſtudent, atque pari modo principibus minoribus, reſtitutionem in integrum competere arbitrantur, quatenus in læſionem Reipubl. contractus ipſorum redundant, uti videri poteſt ap. *Bachov. ad Treutl. Vol. 1. 11. th. 8. in fin. & Neuenbahn in Diſp. de J. Reipubl. ap. Fritſch. P. 2. Exerc. J. P. p. 50. ſeqq.* quamvis *Molina* cautior cum nonnullis *in Diſp. 675. n. 4.* ad bona coronæ & fiſci eam reſtringat. Nam verum mihi eſſe videtur quod *Hugo Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 14. §. 13. n. 2. & §. 12. & Pufend. L. 8. de J. N. & G. c. 10. §. 8.* dicit, valide nimirum per conventiones ſummorum imperantium ſubditos, & per interpoſitam civitatem etiam ſucceſſores principum obligari, ſi probabilem illi contrahendi rationem habuerint, quod in dubio ob regentium auctoritatem præſumi debeat. Et omnino ad principes minores illud applicari poſſe mihi videtur, quod prudenter ICtus Paulus *in L. 24. §. 1. ff. de minor.* præcepit, *non ſemper ſcil. ea, quæ cum minoribus geruntur reſcindenda, ſed ad bonum & æquum redigenda eſſe, ne magno incommodo hujus ætatis homines afficiantur, nemine cum his contrahente, & quodammodo ipſis commercio interdicatur. Itaque niſi aut manifeſta circumſcriptio ſit, aut tam negligenter in ea cauſa verſati ſint, prætorem ſe interponere non debere.*

§. LI.

Hinc inconcinne illi etiam ratiocinantur, qui & quadriennium illud, intra quod, ſi a tempore læſionis reſtitutio in integrum non petatur, huic beneficio præſcribitur, ad reſpublicas applicant, atque ejus uſum in his oſtendere ſatagunt. Nam unicuique patet, hanc tempo-

temporis determinationem eſſe mere juris Civ. ſive voluntarii, ita ut inter ſummos imperantes nullo modo poſſit allegari. Jus enim naturæ tempus tale in præſcriptione determinatum ignorat, & Jus Civ. inter gentes locum non habere aſſerunt omnes, qui ſaltem mica judicii gaudent. Hinc omnino concludimus, quod in iis caſibus, in quibus minorennes reſtitutionem in integrum urgere poſſunt, tanquam ex naturali jure promanantem, illa nulla civilis juris præſcriptione excludatur, ſed omne illud ſpatium, intra quod inſtitui poteſt & debet, ex æquo & bono ſit dijudicandum, uti in omni juris Gentium præſcriptione obſervatur. Conf. Jurisconſultiſſimus Werlhofius *in diſp. de pactis liberarum gentium.*

§. LII.

Quamvis vero hactenus dicta ſatis ſuperque innuant, principem minorennem ex factis ſui tutoris obligatum eſſe, ſi non aliæ adſint cauſæ, propter quas invalida pronunciari poſſit omnis conventio cum tutore & altero contrahente inita. Attamen & exempla non deſunt, ex quibus ſufficienter adhuc declarari poteſt, gentes etiam ſemper hoc dictamen rationis, ſive hæc juris naturæ principia obſervaſſe. Si enim tempus permitteret, omnium rerumpublicarum perluſtrare hiſtorias, exempla ad nauſeam usque adferri poſſent minorennium, qui totas provincias per arma & ſubſecutam pacem amiſerunt. Ne unicum vero adeſt exemplum, quo ex capite reſtitutionis in integrum pax iterum fuerit reſciſſa, provinciæque amiſſæ Principi iterum fuerint reſtitutæ. Ita habemus exemplum in regno Hiſpaniæ, ſub Carolo II. qui An. 1668. vix ſeptimo ætatis anno adimpleto Portugalliæ regno renunciare ſe videbat coactum; Et eodem tempore pace Achenſi regi Galliæ chriſtianiſſimo

plures

Digitized by Google

plures urbes reddere ac relinquere debebat. Et quatuor annis poſteà præterlapſis, cum novum exoriretur inter eum & Galliæ regem bellum, armis eo adigebatur, ut comitatum Burgundiæ ſeu Franche-Comte, cum plurimis aliis Belgii ditionibus amitteret. In Angliæ regno ſe offert minorennitas Henrici VI. qui tempore minorennitatis, perpetuis quaſi cum regno Galliæ bellis implicitus, multa amittebat, quorum reſtitutionem ex capite minorennitatis, illum iterum petiiſſe nusquam legitur.

§. LIII.

Plura proponere jam non vacat, quamvis multa, diverſis caſibus illuſtranda, adhuc poſſent proponi; quæ forſan alia occaſione, majori cum induſtria poterunt elaborari.

T A N T U M.

A01 147 6001

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google